Viri Magnifici, Illustres, Amplissimi, Clarissimi,
Collegae aestumatissimi,
Discipuli amantissimi,
Auditores omnium ordinum honoratissimi.

Spes meliorum temporum etsi nulla unquam aetate ex hominum animis penitus evelli exstirparique potest, tamen altiores quasi in iis agere radices solet, si quando ea eveniunt atque geruntur, quae insolentiores rerum privatarum atque publicarum afferunt mutationes easque in tantum periculum ac discrimen coniiciunt, ut communis omnium salus incertae fortunae aleae videatur commissa esse. Est enim hoc tanquam salutare quoddam curarum ac sollicitudinum fomentum mortalibus naturae benignitate tributum, ut mentes animosque suos a praesentium malorum adspectu avocare et ad desideratorum bonorum tamquam speciem et imaginem convertere queant, qua intuenda atque contemplanda tam praesentium rerum tristitiam consolentur, quam melioris fortunae aliquando rursus adventaturae cogitatione erigantur. Quare nec mirum cuiquam accidet, AA., quod nunc quoque in vita quotidiana ita fere accidere solet, ut homines vulgo bonam de futuro spem cupide amplectantur meliorisque fortunae expectatione placide acquiescere quam praesentium bonorum possessione tuto confidere malint. Quid enim his postremis annis aliud quam sperare didicimus, quippe rebus omnibus, tam privatis quam publicis, misere perturbatis

*) Habita haec oratio est die ult. a. 1850.

atque iam in eum locum deductis, ut, ubi certo consistamus, vix habituri videamur? Nam, eheu, in quanta pericula atque rerum discrimina per hoc tempus iterum iterumque coniecti sumus! quantos seditionum ac tumultuum fluctus surgere vidimus! quantas contentionum atque rixarum turbas inter populos et principes, inter cives et magistratus, agitari meminimus! quantam denique disciplinae publicae pariter ac domesticae perturbationem atque confusionem ingruere animadvertimus! Nec vero iam finis adest harum miseriarum. Imo ante hos paucos dies adhuc vidimus imminentem nobis atrocissimam belli furiam, quae ignem usque sub doloso gliscentem cinere et quotidie novum adeoque gravius minantem incendium civilis sanguinis fluminibus si non restinctura, at certe saeve cruenteque conspersura turpiterque contaminatura videbatur. Itaque omnes iam ad unam maxime spem confugiunt, utpote sublatis praesentis felicitatis iucunditatibus, similiterque affecti sumus atque ii, qui in alto mari, gravi aliqua tempestate deprehensi, huc et illuc iactantur, necdum aliquem portum conspicantur, in quem tuto perventuri sint. Verum enim vero quum plerique omnes his rerum conditionibus ad bonam de futuro spem tanquam ad ultimam rerum suarum ancoram decurrant, atque gravium, quibus premuntur, aerumnarum tristitiam hac una maxime cogitatione consolentur, ut aliquando beatioris fortunae faustitatem reversuram esse sibi persuadeant, tamen in ea re neutiquam omnes eandem sequuntur rationem; imo bene sperandi caussas alii aliunde suspensas habent. Nam plurimos audire licet ita iudicantes, ut, quemadmodum in rerum natura semper post atra nubila almi solis radii rursus effulgeant, ita etiam in vita humana arbitrentur post graviores iniquorum temporum procellas necessario rursus succedere oportere melioris fortunae prosperitatem, eamque ob caussam aliquando exhilaratum iri existiment, quae nunc videantur turbida atque tristia. Alii vero in caussa adeo ancipiti unice statuunt divinae provi-

dentiae ope et auxilio acquiescendum esse, ideoque numen divinum volunt assiduis precibus non tam implorari quam sollicitari atque fatigari, quo mala ista, quibus mortales laborent, aliquando averruncentur atque scelera, diuturna gentium impietate contracta, tandem expientur. Nec vero pauci reperiuntur, qui in ea versantur opinione, ut humanae sapientiae humanisque consiliis omnia tribuant, iisque unis effici posse existiment, ut vita communis rursus fiat tolerabilior atque beatior. At enim vero licet istae bene sperandi caussae atque rationes admodum sint pervulgatae adeoque plurimis unice probentur, tamen minime errare videmur, AA., easdem illas non eas esse existimantes, quibus meliorum temporum expectatio tuto fulciatur. Nam ut paucis dicamus quod res ipsa declarare videtur, humana quidem prudentia merito ita tantum iudicabitur aliquod malorum medicamentum allatura esse, si recte adhibeatur. Quis est autem qui infitias iverit, eam saepenumero usus pravitate etiam exitiosissimam extitisse? Porro naturae legi illi confidere, qua omnia perpetuo veluti in orbem circumaguntur, quid tandem aliud est, quam coecae credere necessitati, atque vitam humanam earum rerum conditioni aequiparare, quibus certe multo est superior atque praestabilior? Denique deum implorare precibus, ut populis atque civitatibus benigna ope sua subveniat earumque salutem clementer sustentet ac tueatur, etsi praeclara res est atque consolationis plenissima, tamen item vere recteque Cato apud Sallustium: „Non votis, inquit, neque suppliciis muliebribus deorum auxilia parantur; vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt.“ Quid igitur? Quidnam tandem illud esse arbitrabimur, unde spes melioris fortunae repetatur necesse est, siquidem non vana et temeraria, sed certa atque vera futura sit? quasnam putabimus ponendas esse conditiones, quibus denique fieri possit, ut meliorum temporum felicitas denuo revertatur? Nimirum est hoc illud ipsum, AA., in quo explicando atque

illustrando bona venia vestra hodie paullisper versabitur nostra oratio. Itaque date mihi hoc, ut paucis exponere liceat: *de veris certisque bene de futuro sperandi caussis et rationibus.* Quam quidem orationem nostram nolite expectare, AA., aut exquisitae doctrinae aut egregiae subtilitatis laudem habituram esse. Imo erit ea simplex planeque popularis, utpote ad id ipsum comparata, cuius caussa hodie huc convenimus. Pertinebit enim tota inprimis eo, ut quid his temporibus nobis quum in reliqua vita agenda tum maxime in erudienda iuventute spectandum sequendumque sit, admoneamur; quo certe nihil inveniri putamus, quod his sacris nostris sit convenientius.

Iam vero quoniam dicturi sumus de iis feliciorum temporum conditionibus, quae certae sint neque animi spem et opinionem fallant et irritam faciant, facile intelligitur, AA. nos illas non ex iis rebus suspensas esse velle, unde eas plerique fere repetunt, ex ampla opum ac divitiarum possessione, ex beata agrorum ubertate et fertilitate, ex mercaturae et commerciorum frequentia, ex regnorum et imperiorum amplitudine et potentia, aliis id genus similibus. Quae quidem omnia etsi ad vitam communem ornandam atque fortunandam sanequam plurimum valent, tamen quoniam natura sua ita sunt comparata, ut non modo non in nostra potestate posita sint, sed etiam saepe maximarum miseriarum caussas et opportunitates afferant, quandoquidem plurimum tamquam fomitis continent, in quo teterrimarum ac publice privatimque perniciosissimarum cupiditatum flamma accendatur, certe nullo pacto talia esse putanda sunt, quibus meliorum temporum fundamenta revera nitantur. Quamobrem illa posita esse putamus in iis potius bonis, quae quum non a fortunae arbitrio pendeant, tum etiam verae beatitatis, qua mortales qui nati sunt potiri queunt, possessionem absolvunt. Videmur igitur non temere statuere et existimare, AA., meliorum temporum felicitatem aetati nostrae ita demum redditum iri existimantes, si primum

quidem sincerum et intemeratum veritatis studium laetius denuo inter nostros vigere incipiat; deinde si earum virtutum, quae ad communis societatis felicitatem inprimis ducuntur necessariae, amor atque studium maiora in dies incrementa capiat; denique si pia atque sancta rerum divinarum reverentia non negligatur, sed per omnes vitae communis partes latius diffundatur. Haec tria enim quum summum illum atque ultimum finem propius attingant, ad quem vita humana perpetuo eniti debet, in eo positum illum, ut *verum* cognoscere, *bonum* colere et exercere, *pulcrum* denique atque honestum diligere atque revereri discamus, dubium certe non videtur esse, quin inde remedia malorum, si quae extiterint, aetatis degeneris verissime repetantur.

Itaque primum quidem exoptatam temporum felicitatem ea conditione reversuram esse existimamus, AA., si diligentius ob oculos habeatur id, quod principalem fere eorum bonorum partem complectitur, quibus merito omnis vitae humanae dignitas censetur, hoc est, si studium *veritatis* ita vigeat, ut communis omnium salus postulare videatur. Quod quidem dum ita statuimus, nolite putare, AA., nos in ea esse sententia, ut omnes omnino homines velimus maioris cuiusdam doctrinae ac scientiae laudem vehementius appetere aut studiosius sectari. Nam istud quidem neque per rerum humanarum conditionem fieri potest, siquidem paucissimis tantum doctrinae studiis operam dare licet, neque ad publicam felicitatem videtur esse unice necessarium, quum scientiae et doctrinae amplitudo per se spectata exiguum sane pretium habeat. Imo illud nobis volumus, quod etiamsi cum doctrinae rationibus aliquid habet necessitudinis, tamen item ab iisdem nonnihil discrepat, ut omnes homines, summi infimi, nobiles ignobiles, docti indocti, religiosiore semper veritatis studio ducantur, atque tantum ei tribuant, ut, ubicunque ea sese tanquam conspiciendam praebeat aut sui aliquod edat signum vel argumentum, ibi eam diligenter colant, sancte revereantur,

neque unquam temere negligant. Quod quidem videtur ab omnibus, qui hominum nomine non indigni sunt, iure meritoque non tam expectari quam postulari atque flagitari posse. Est enim profecto singulari naturae dicam an divini numinis beneficio ita institutum, ut unusquisque in suo ipsius pectore gerat sensum quendam veri, vel obscuriorem illum vel etiam clariorem et evidentiorem, cui tanquam auscultans atque obsequens usque ad veritatis tanquam deae alicuius reverentiam atque cultum impellatur. Hic igitur sensus, hic amor, hoc studium veritatis ut religiose colatur ab omnibus atque castum intemeratumque conservetur, id vero si dicimus non modo ad vitae privatae sed etiam ad vitae publicae felicitatem tantum interesse, ut ab ea re magna illius pars unice pendere existimanda sit, haud sane videmur asseverare quod non possit facillime probari argumentis idoneis. Quid enim? nonne sensu illo et amore veritatis enecto vel imminuto etiam fides corruat necesse est, sine qua quis sibi persuadeat communem salutem constare posse? nonne probitas item et honestas illo deficiente misere laborabunt, quae quantum ad felicitatem faciant quis est qui dubitet? denique nonne corrupto ac depravato veri rectique sensu etiam foedissima vitia atque scelera grassari incipient, mala fraudentia, miserum tricarum et calumniarum studium, inanis vaniloquentia, alia his similia, quibus quum boni et mali, turpis et honesti, utilis atque inutilis discrimina male perturbentur atque hominum mentes animique pravis opinionibus tanquam aliqua peste contaminentur, quid tandem communi hominum societati potest cogitari perniciosius aut publicae saluti et utilitati pestilentius? Nimirum ita est, AA.: studio veritatis inter homines interemto neque omnes communis societatis partes pervagato vera felicitas nullo modo consistere potest, ut miserae sint gentes ac nationes, miserae civitates, miserae hominum societates, quocunque eae nomine insigniantur, in quibus illius contemtio ac neglectio ingruere coeperit. Quod

quidem ita esse confirmatur etiam certissime historiae testimonio. Nam Athenarum quidem civitas, quum olim extitisset omnibus humanitatis laudibus florentissima, tum ex quo cives habuit malis fraudulentae sophisticae artibus imbutos, litigiosos, garrulos, vaniloquos, denique veri rectique negligentes, brevi iacturam fecit laudum suarum luctuosissimam, neque unquam rursus ad pristinam convaluit sanitatem, quippe corrupta inprimis malarum fraudum turpitudine ex veritatis neglectione oriunda. Neque vero dissimilem novimus fuisse eorum regnorum et imperiorum fortunam, quae recentiore tempore simili labe affecta sunt, et quorum memoria recens adhuc in omnium animis haeret; quae quidem quis est paullo eruditior quin sciat quantis tristissimarum tempestatum procellis vel olim iactata sint vel etiamnunc iactentur, ut vix videantur ex seditionum et civilium motuum fluctibus salva et incolumia emergere posse? Atque haec quum ita sese habeant, quumque ratio pariter atque rerum gestarum memoria evincat, felicitatem publicam atque privatam sine veritatis studio nullo pacto consistere posse, nonne recte videbimur statuere, AA., etiam nostrae aetati iudicantes hoc inprimis agendum esse, ut in hominum animis, inprimisque etiam in animis iuvenum et adolescentium, amor veritatis, quantum fieri possit, exsuscitetur, custodiatur et corroboretur, indeque potissimum praesentium malorum medicinam petendam esse? Nimirum si non falsi sunt iudicio suo perspicacissimi rerum humanarum observatores, qui inter nostros censuerunt utique similem sparsam esse labem atque olim Athenis extiterit quo tempore civium animi malis argutae sophisticae fraudibus corrupti et veritatis atque fidei incuriosiores facti sunt, ac si non abhorret a veritate, quod multi etiam crebris sermonibus usurpare solent, fraudem ac mendacium gravissimum esse morbum, quo aetas nostra laborare censenda sit, certe nec temere ita statuere videbimur, ut primam conditionem, qua meliorum temporum

faustitas aliquando adventura sit, in maiore veritatis studio et amore quaerendam esse existimemus.

Sed ad eam etiam altera conditio accedat necesse est, AA., quae cernitur in *acriore virtutis ad communem salutem necessariae cultu et exercitatione,* quandoquidem ad absolvendam vel efficiendam beatae vitae laudem atque dignitatem necessario illud quoque requiritur, ut praeter id, quod verum est, etiam bonum et honestum colatur. Cernitur autem sine dubio gravissimum virtutis munus etiam in temperantia; temperantiam vero iam Plato, Aristoteles, alii sapientes, eam virtutem iudicaverunt esse, qua nihil ad tuendam augendamque communem civium salutem magis sit utile vel necessarium. Etenim quemadmodum vita singulorum hominum non potest unquam beata existere, nisi cupiditatibus temperantiae et moderationis freno coercitis atque repressis; ita nec communis hominum societas, cuiuscunque ea generis sit, unquam propositam ipsi consequetur felicitatem, nisi privatae cupiditates atque propria singulorum studia iustis finibus coerceantur et communis rationis legibus accommodate regantur atque gubernentur. Fert enim profecto communis societatis ratio sic, ut ad ea officia, quae unicuique privatim colenda sunt, plurima accedant alia, quae debentur universis, et quae ita tantum coli exercerique possunt, si omnes ac singuli suis votis, suis studiis, suis desideriis iustum modum statuant adeoque etiam iudicia sua vitae communitati convenienter regant ac moderentur. Quod quamdiu ita fit, efflorescunt inde praestantissimae virtutes continentiae, iustitiae, concordiae, humanitatis, legum observantiae, aliae, quae quoniam civili societati maxime prosunt, merito virtutes civiles appellantur; atque tum etiam salva et incolumis stat communis omnium salus, etiamsi interdum fortuna iniquiore periclitetur: ubi vero accidit aliter, ibi protenus etiam contraria praestantissimis virtutibus vitia grassari incipiunt, mollities et avaritia, quae propriis

tantum voluptatibus turpiter famulatur; immodestia et arrogantia, quae contemtis aliorum iuribus sibi uni omnia vindicat; malevolentia et invidia, quae aliis maligne detrahit; discordia et partium studia, quibus in propria viscera saevitur; petulans legum humanarum ac divinarum contemtio, quae a nimia sui opinione proficiscitur; denique immoderata licentia, quae speciosum libertatis nomen prae se ferens non modo legum humanarum auctoritatem evertere studet, sed etiam ipsum coelum stolide petit et divina iura frangere et perrumpere conatur. Qua quidem rerum conditione quis est quin sponte videat fieri nullo modo posse, quin etiam privata atque publica felicitas praeceps agatur? Enimvero verissime profecto statuerunt viri sapientissimi, unam maxime temperantiam atque modestiam ad communem omnium salutem atque temporum felicitatem necessariam esse adeoque certissimum esse illius fundamentum. Quod quidem ita esse etiam usus rerum omni aetate docuit luculentissime. Quid enim? Quando tandem rem publicam Romanam legimus et laetissime effloruisse et maxime salvam et incolumem stetisse? Nempe factum illud est quo tempore per universas eius partes singularis quaedam temperantia, continentia et frugalitas cum rara quadam patriae caritate coniuncta regnavit eiusque salutem sustentavit. Sed quando eadem, quantumvis amplissima et opulentissima extitisset, tamen praeceps ire coepit et ruere ad interitum? Enimvero evenit certe istud, si qua fides certis est testibus, quum insolentes cupiditates, immoderata studia, denique horribilia intemperantiae vitia ingruissent atque omnium virtutum, quibus olim floruisset civitas, laudem paullatim de medio sustulissent. Porro quanam aetate censebimus veteris Graeciae statum et conditionem fuisse beatissimum? Enimvero audite singularis moderationis ac temperantiae exempla, ac facile ipsi rem iudicabitis. Accidit enim hoc eadem aetate, qua Athenienses, quum aliquando Aristides nuntiavisset

consilium quoddam Themistoclis fructuosum quidem fore, sed minus bonum et iustum videri, moderationis admirabilis amore ducti communi consensione alia omnia sequenda esse statuerunt. Evenit illud tum, quum Demaratus, rex Lacedaemoniorum, Xerxi, hosti potentissimo, vere confirmare potuit, cives suos eo uno esse liberos, quod refrenatis propriarum rerum studiis uni legi tanquam potentissimo domino per omnia ultro ac lubenter parerent eiusque auctoritatem sancte verecundarentur. Sed quando eadem Graecia priscae beatitudinis fructibus decepta est atque privata? Nempe istud quidem factum esse constat, quo tempore una cum veritatis neglectione atque perfidia etiam immoderata privatorum commodorum cupido, intemperans honorum studium, desidiosa luxuria, alia his cognata vitia, magis magisque civium animos a communi averterunt, ut denique Philippus Macedo facili negotio posset universae Graeciae mercator fieri. Sed dies nos deficiat, AA., si plura rei exempla afferre velimus, quibus certe historia adeo abundat, ut nullum fere saeculum, nulla hominum aetas sit, unde ea non depromere liceat. Iam vero quid tandem ex his, quae adhuc disputavimus, ad rem propositam consequi existimabimus? Nimirum illud ipsum, opinor, de quo identidem admonuimus, alteram conditionem, qua una demum beatiora tempora reditura sint, positam esse in eo, ut maior cura habeatur inprimis eius virtutis, qua una maxime tum civitatum tum omnis omnino humanae societatis salus continetur, hoc est, modestiae et temperantiae. Nam quum certum sit atque exploratum, quod sane evidentibus signis atque argumentis cognitum habemus, aetatem nostram eam, quam descripsimus, temperantiam minus colere adeoque in contrarium fere prolapsam esse, nullum profecto potentius, nullum efficacius reperiri poterit praesentium malorum remedium, quam ut civium animi etiam modestiae ac temperantiae sensu atque amore imbuantur. Quod quidem inprimis etiam de pueris et adolescentibus ita statuendum videtur, quandoqui-

dem respublica sine dubio aliquando tales cives habitura est, quales extiterint ii, qui adhuc disciplina puerili conformantur.

Verum his ita expositis tempus est, AA., etiam ad tertium illud accedere, unde vitae beatioris conditionem suspensam esse iudicavimus, *religionem dico atque piam rerum divinarum reverentiam.* Haec enim arctissime profecto cognata cum pulcro est, quod in vita humana elucere oportere, siquidem ea ad quam maximam perfectionem sit perventura, sapientissimorum virorum communis sententia est. Etenim pulcri absoluti et perfecti species quum in rebus humanis multis modis expressa cernatur, tamen revera non in alio certius inest nisi in uno deo rebusque divinis. Ex quo efficitur, ut, si eo, quod pulcrum est, plenius potiri velimus, mente et cogitatione ultra vitae mortalis humilitatem ad ipsum deum evehi debeamus, quo gravius certiusque commoneamur, studia nostra atque consilia non angustis huius vitae terminis inclusa teneri oportere, sed tendere ulterius. In quo ipso religionis pietas cernitur, quae nihil est aliud, nisi interior quaedam animi conscientia et quasi divinatio, qua vitam hanc terrestrem sentimus arctius esse cum ipso deo rebusque divinis coniunctam, eique persuasioni accommodate nostra vivendi consilia moderamur. Hanc vero pietatem, hanc religionem, hanc divinarum rerum reverentiam omni aetate sapientissimi quique viri ad vitae communis felicitatem duxerunt maxime necessariam; necessariam duxerunt etiam universi populi, inter quos non postremum locum tenent maiores nostri, Germani, apud quos hunc morem regnasse accepimus, ut nihil quidquam neque privatim neque publice susciperent, nisi sic, ut sese meminissent in omni re divina ope et auxilio indigere. Neque profecto iniuria. Quid enim vita mortalium est celsiorum sensuum et cogitationum laude destituta? aut qua ratione ea vere humana dici haberique possit, nisi ipsius consilia et instituta ad divina referantur? Enimvero spoliatur ita sane propria

virtute sua, qua ipsi in divinitatis communionem pervenire divinitus concessum est, deciditque tanto citius ad bestiarum humilitatem atque feritatem, quo minus eluctatur ad coelestia. Tollite igitur inter homines religionis sanctitatem; tollite numinis divini cultum ac venerationem; tollite et exstirpate ex animis sensus pietatis, praesertim eos, quos divina Christi doctrina usque ali ac foveri iubet, ac protenus etiam sublatum erit maximum vitae humanae decus et ornamentum, sine quo vera felicitate in hac vita nemo quisquam potiatur. Quid vero? num qua iudicabimus religionem atque pietatem inter nostros castam servatam esse nec potius foedissime temeratam atque contaminatam? num vana esse et inania censebimus virorum prudentissimorum iudicia, qui superstitionem pariter atque incredulae impietatis levitatem in dies magis ingruere identidem conquesti sunt? num denique negabimus, multorum aequalium animos piis religiosisque sensibus adeo esse spoliatos et exutos, ut sancti illius piique ardoris, quo pectora hominum vere religiosorum incalescere debent, plane expertes nec amplius capaces extiterint? Enimvero quod olim vates Venusinus aequales suos admonuit verbis gravissimis: „delicta maiorum immeritus lues, Romane, donec templa refeceris, aedesque desertas deorum — Dis te minorem quod geris, imperas; hinc omne principium; huc refer exitum,“ idem quodammodo etiam nostros iam commonefacere haud inutile aut intempestivum fuerit. Revertetur enim ita demum aetas felicior et beatior, si homines nostri iuxta cum veritatis ac temperantiae amore etiam eum sensum alant ac suscipiant, ut sibi omnis operae et laboris sui praemia et fructus exspectandos esse statuant non ab una humana sapientia, sed maxime a liberalitate et benignitate divina, ac si consilia et studia sua ita moderari didicerint et consueverint, ut in iis vel ineundis vel peragendis divinae rerum humanarum gubernationis non sint immemores.

En AA., gravissimas conditiones, quibus acceptis et expletis uti-

que melioris fortunae vices expectare liceat; recusatis ac neglectis haudquaquam idem sperare fas sit. Quae quidem conditiones quum ita sint comparatae, ut non modo ad communem humanitatis caussam pertineant, si quidem ad summa vitae humanae bona, verum, bonum, divinum, referuntur, sed etiam eam habeant naturam, ut iis ab omnibus, si modo recta utantur voluntate, satisfieri queat, boni et honesti homines non modo urgente necessitate, sed sponte atque ultro illis respondere conantur, hac firmissima ducti animi persuasione, ut earum observantiam existiment ad vitam communem ornandam nobilitandamque longe esse potentissimam et efficacissimam.

Atque hanc vivendi legem certe etiam viri praestantissimi per omnia tenuisse censendi sunt, quorum hodie fas est in hoc conventu nostro pie meminisse, quippe quum ipsis cum hac Schola nostra, dum in vivis essent, variis de caussis arctior quaedam necessitudo intercesserit, *Io. Aug. Adlerus*, Pastor ad aedem Sti. Iacobi annis meritisque summe venerabilis; *Ernestus Güntherus*, vir quum omni humanitatis laude tum inprimis etiam accurata iuris scientia clarissimus; denique *Wernerus Conradus Ernestus Heimbachius*, Senator huius civitatis prudentissimus atque gravissimus. Ex quibus duos priores pietatis vinculum ideo nobiscum coniunxit, quia non modo olim pueri et adolescentes gymnasii nostri disciplina usi fuerunt, sed etiam postea, viri facti, sanctae huius necessitudinis semper permanserunt grate memores; tertium non modo bonarum artium amicum, sed etiam fautorem Scholae benevolentissimum venerati sumus. Hi igitur quum vitae munere tam praeclare functi sint, ut pro sua quisque parte salutem communem atque publicam utilitatem religiosissime curavisse existimari debeant, certe etiam digni semper habebuntur grata apud posteros memoria, illic autem haud dubie iis iam fruuntur laborum suorum praemiis, quibus eos omnes ornari pie credi-

mus et confidimus, qui officiorum suorum partes fortiter constanterque sustinuerunt.

Iam vero quoniam haec una certa ratio esse videtur tuendae augendaeque communis felicitatis, ut veritatis, virtutis et religiosae pietatis caussa fortiter constanterque defendatur, eoque ipso etiam iis malis tutissime occurritur, quibus hanc aetatem premi in confesso est, agite, AA., nos quoque studia nostra, quantum fieri possit, eo dirigamus, quorsum ut dirigantur, communium temporum rationes graviter cohortantur. Frustra enim sperabimus, adauctis bonis externis ac fortuitis aliquando eam, quam optimi quique exoptant, felicitatem rursus redituram esse, siquidem fortunae munera, quamvis per se sint laetabilia, tamen non eam habent vim, ut id, quod iam communiter desideratur, efficere possint. Utinam igitur altero hoc, quod auspicaturi sumus, saeculi dimidio recti verique sancta verecundia, virtutis quum omnis, tum inprimis eius, quae ad communis societatis salutem necessaria ducitur, cura atque studium, denique pietatis ac religionis amor in dies nova usque incrementa capiant, ac recentibus tanquam viribus assumtis in familiis atque gentibus, in scholis publicis atque coetibus domesticis, in curiis pariter atque in iudiciis, denique in omnibus vitae privatae atque publicae partibus laetius floreant atque vigeant. Nam ita certe futurum est, ut mutentur in melius, quae nunc animos mortalium non mediocri cura ac sollicitudine replere solent. Faxit Deus, ut haec vota nostra pro communi salute nuncupata rata fiant; quod certe ita fiet, ut nos ipsi sanctissimae eius voluntati obtemperabimus.

---

mus et confidimus, qui offici ter-
que sustinuerunt.

Iam vero quoniam haec au-
gendaeque communis felicitatis pie-
tatis caussa fortiter constante iis
malis tutissime occurritur, qu est,
agite, AA., nos quoque stu di-
rigamus, quorsum ut dirigant gra-
viter cohortantur. Frustra e rnis
ac fortuitis aliquando eam, q tem
rursus redituram esse, siquid sint
laetabilia, tamen non eam h niter
desideratur, efficere possint. spi-
caturi sumus, saeculi dimidi vir-
tutis quum omnis, tum inpri tatis
salutem necessaria ducitur, cu re-
ligionis amor in dies nova u ibus
tanquam viribus assumtis in f blic-
cis atque coetibus domesticis, de-
nique in omnibus vitae privata eant
atque vigeant. Nam ita ce lius,
quae nunc animos mortalium lere
solent. Faxit Deus, ut ha nun-
cupata rata fiant; quod cert eius
voluntati obtemperabimus.

TIFFEN Gray Scale
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
© The Tiffen Company, 2007